

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Detractio 1
cum fonte primo

Sicut sagitta, si mittatur contra duram materiam,
non nunquam in mittentem reuertitur et uulnerat uulnerantem,

ita detractor cum tristem faciem uiderit audientis,
immo non audientis sed obturantis aures suas
ne audiat sanguinem, illico conticescit, pallet uultus,
herent labia, saliuu siccatur.

Ieronymus in epistola ad Rusticum monachum.

sicut enim sagitta, si mittatur contra duram materiam,
nonnumquam in mittentem reuertitur et uulnerat uulnerantem
illudque completur: facti sunt mihi in arcum prauum
et alibi: qui mittit in altum lapidem,
recidet in caput eius (Psa. 77:57),
ita detractor, cum tristem faciem uiderit audientis,
immo ne audientis quidem, sed obturantis aures suas,
ne audiat iudicium sanguinis, illico conticescit, pallet uultus,
haerent labia, saliuu siccatur.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 125.19.3
(CSEL 56, I. Hilberg ed., p.139, ll.7-14).